



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ad Leonem X. Pontificem Maximvm**

**[Straßburg], 1519**

**VD16 L 3409**

Conclusio II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34717**

M. L. RESOLUTIONES DE VIRTUTE IN  
te agitur. Non autem eam, quam foris agere possunt superbissi-  
mi hypocritæ, in ieiunijs suis facies exterminantes, in angulis ora-  
rantes, & cum tubis eleemosynam facientes. Eam inquam, do-  
ceat Christus oportet, quæ in omni uitæ genere agi potest, quæ  
rex in purpura, sacerdos in munditia, principes in dignitate nõ  
minus possunt agere, quam monachus aut mendicus in suis ri-  
tibus & paupertate, sicut egerunt Daniel & socij sui in media Ba-  
bylone. Omnibus enim hominibus, id est omnium conditio-  
ni debet conuenire doctrina Christi.

Tertio, per totam uitam oramus & orandum est, Dimitte no-  
bis debita nostra, ergo tota uita pœnitentiam agimus, & displi-  
cemus nobis. Nisi quis sit ita stultus, ut fecte putet orandum sibi  
pro remittendis debitis. uera enim sunt, & non contemnenda  
debita, pro quibus orare iubemur, etiam si sint uenialia, non ta-  
men nisi eis remissis, saluari possimus.

#### CONCLUSIO II.

Quod uerbum de sacramentali pœnitentia ( confessionis  
& satisfactionis, quæ sacerdotum ministerio celebratur) nõ  
potest intelligi.

Hanc etiam assero & probo.

PRIMO, quia pœnitentia sacramentalis est temporalis, nec  
potest omni momento agi, alioquin assidue cum sacerdote lo-  
quendum esset, nec aliud quicquam agendum, nisi peccata con-  
fitenda, atq; satisfactionem impositam exequendam. Ideo non  
potest esse crux illa, quam Christus præcipit tollere, nec est mor-  
tificatio passionum carnis.

Secundo, sacramentalis est externa tantum, & prærequirit in-  
ternam, sine qua nihil ualet. Sed hæc interna est, & sine sacramē-  
tali esse potest.

Tertio, Sacramentalis potest esse ficta, hæc non nisi uera, &  
sincera esse potest. Quod si sincera nõ fuerit, hypocritarum est,  
non ea quam Christus docet.

Quarto, de sacramentali pœnitentia nullum habetur præce-  
psum Christi. Sed est per pontifices & ecclesiam statuta ( saltem  
quo ad tertiam sui partem, scilicet satisfactionem) ideo & muta-  
bilis arbitrio ecclesiæ. Sed pœnitentia euangelica, est lex diuina,



DVLGENTIARVM AD LEONEM X. P. M.

nulla hora mutabilis, cum ipsa sit iuge illud sacrificiū, quod uocatur cor contritum & humiliatum.

Quinto, huc pertinet, qđ uno cōsensu doctores scholastici discernūt pœnitentiā uirtutis, a pœnitētia sacramentali, ponentes pniām uirtutē uelut materiā, seu subiectū pœnitētiæ sacramenti.

CONCLUSIO III.

Non solam tamen intendit interiorem, immo interior nulla est, nisi foris operetur uarios carnis mortificationes.

Et hanc assero & probo.

Primo. Ro. xij. præcipit Apostolus, Corpora nostra offerre hostiam uiuentem sanctam deo placentem. Atq; id quomodo fiat secutus clare & late exponit, dum docet humiliter sapere, inuicē seruire, diligere, orationi instare, patientiā habere &c. Quo modo & ij. Corint. vi. ait. Exhibeamus nosmetipsos in multa patientia, in ieiunijs & uigilijs &c. Sed & CHRISTVS Matth. v. & vi. docet recte ieiunare, orare, elemosynas dare. Item alibi Quod superest, date elemosynam, & ecce omnia mūda uobis.

Vnde sequitur, quod illæ tres partes satisfactionis, Ieiunium, oratio, elemosyna, non pertinent ad sacramentalem pœnitentiā, quo ad substantiam factorū, quia sunt de præcepto Christi, sed pertinent ad eam, quo ad certum modum ad tempus, secundum quod ecclesia ordinauerit, uidelicet quam diu sit orandū, ieiunandum, dandum. Item quantum & quid orandum, quantum & quid non comedendum, quantum & quid dandum.

Verum ut sunt de euangelica pœnitentia, Ieiunium habet in se omnes castigationes carnis, sine delectu ciborū, aut differentia uestium. Oratio uero omne studium animi meditando, legendo, audiendo, orando, Eleemosyna uero, omne obsequium erga proximum, ut ita per ieiunium sibi seruiat, per orationem deo, & per Eleemosynam proximo. Per primū uincat cōcupiscentiam carnis, & uiuat sobrie & caste, Per secundū superbiam uitæ & uiuat pie, Per tertium concupiscentiam oculorum & uiuat iuste in hoc seculo. Quare omnes mortificationes, quas homo compunctus sibi infert, sunt de pœnitentia interiore, tanq̄ fructus eius, siue sint uigiliæ, labores, inopiæ, studia, orationes fuga sexus ac deliciarum, in quantum promouent spiritum.

A ij